



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Cornelii Cvrtili Cæsarei Consiliarij et Historiographi
Ordinis Eremitarum S. Avgvstini S. Nicolavs Tolentinvs
alijque aliquot eiusdem Ordinis Beati**

Curtius, Cornelius

Antuerpiæ

20. Vapulat à dæmonibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37243

Non tamen abire hostis ita in-
 glorius ; sed vim admovere pro-
 prius. In ipsum oratorium involat
 malus Orci pullus, exuvias terri-
 mæ avis vestitus, furvisque alis ex-
 citat horribilem ventum, quo san-
 cti Viri lucernam evertit, confrin-
 gitque. Lucem scilicet odit tene-
 brio. Hic NICOLAUS suppetias vo-
 care & rogare fratrem, qui in vicini-
 a jacebat, quò cum nocte no-
 ctuam illam pelleret, luminis ali-
 quam usuram. Sed nequidquam
 circumcursat frater : omnem toto
 monasterio flammam lucifuga iste
 extinxerat. Humi ergo se abjicit
 NICOLAUS, & supplex invocat
 eum, qui *habitat lucem inaccessibi-*
lem. Momentum preces habuere.
 nam illicò vidit divinâ vi restaura-
 tam & lucernam & lucem. Quare
 hic gaudio tantum non exultare;
 ille verò dirumpi invidiâ & odio,
 totusque ardere in vindictam. No-
 vum ergo stratagema adornat. Ar-
 matus Orci satelles crasso & duro
 baculo, magno impetu irruit in ho-
 minem, ejusque latera & tergum
 dedo-

19.

Lucer-
 nam dæ-
 mon ei
 confrin-
 git : quæ
 divinitus
 redinte-
 gratur.

20.

Vapulae
 à dæmon-
 nibus.

dedolat usque eò atrociter, dum lignum medium dissiliret. Ut ne crederes aërem verberasse, sparsæ passim in contuso corpore vulnorum vibices loquebantur. Porrò baculi hujus frustra inter alias reliquias hodieque Tolentini spectantur.

Videbatur hâc vindictâ iram satiâsse, & explevisse animum, si modò precibus assiduis tandem superfedere aliquando NICOLAUS voluisset. Cùm ergo nocte intempestâ videret iterum in genua eum procumbere ante Venerabilem Angelorum Panem; ille in novas iras excandescere, & vim facere in lampadem, quæ perpetuo illic igni lucet, fractisq; catenis solo allidere, oleumque, quantum erat, in vestem NICOLAI effundere. Hic Vir sanctus: O optime IESU, tantùmne licere inferno? Tene pati, ut malus iste in bonorum Angelorum epulum sacrum ita impudenter insulret? Accipit ergo in manus vitri fragmenta, tenerque lampadem integram, & pleno igni animatam.

Non

21.
Lampas
fracta ab
infernali
hoste ite-
rum divi-
nitatis re-
paratur.